

censebimus, in cuius monasterii ecclesia altare Conceptae Deiparae sub initium huius seculi Paschalis II dedicaverat (Cf. Ballerini Diss. cit. n. 7.)? Obiici quidem potest testimonium s. Bonaventurae, qui seculo post floruit, circa medium saeculæ seculi XIII. Hic enim in III. D. III, q. 1. ubi agit de *sanctificatione gloriosae Virginis ante animationem*, postquam eam argumentis pluribus negasset, subdit: « Nul-  
 lius conceptionis sollempnitatem celebrat Ecclesia nisi solius Filii Dei in annuntiatione b. Virginis Mariae. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant conceptionem b. Virginis, quos nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere. » Verum responderi potest 1) ideo negari quod *Ecclesia* celebret festum istud, quia nondum decreto aut praxi Ecclesiae sive Romanae Sedis, quae Bonaventurae saltem nota esset, constitutum, et nondum universale erat. 2) Non esse opus *aliquos* interpretari *paucos*, sed posse exponi *non omnes*. Ceterum etsi ea abolita facta in Galliis supponatur ampla, recolenda sunt haec tria: 1) ratio cur dicatur abolitum fuisse festum, quia nempe conceptio ante animationem non fuit sancta; unde abolita est ea festivitas, cuius obiectum erat ista conceptio, vel cuius esse putabatur: quam opinionem producit Bonaventura, et Thomas, qui de hac festivitate loquuntur, cum disputant de sanctificatione ante animationem; qui id forte, degentes Parisiis, ex decreto Mauricii collegerunt. Quare 2) recolendam est huiusmodi abolitionem non adversari persuasioni doctrinae de immaculato conceptu B. Virginis. 3) Eam abolitionem non habuisse locum in Hispania, Anglia, Navarra, Sicilia, Italia, Germania, alibi.

Idem autem Bonaventura in III. D. III, q. 2. questionem agens de sanctificatione in ipso instanti animationis, adhaeret sententiae affirmanti immaculatum conceptum: atque hanc sententiam vocat *communio-rem*. Verum comparatio ab eo non instituitur inter membra Ecclesiae sive fideles sive Pastores qui sententiam suam ipso facto cultus significare poterant, sed fit inter Theologos, qui ea aetate pauci erant, et quidem nec inter omnes theologos eius aetatis, sed eos, quorum opera scribenti nota esse poterint, quae probabilissime non erant multa, ea nimirum quae a decessoribus in eadem universitate relicta erant. Ceterum ipse Bonaventura deinceps Magister Generalis sui ordinis in generali conventu habito Pisis festum conceptionis ab universo ordine celebrandum suscepit et probavit.

XI. Adverte porro veteres scholasticos Albertum, Alensem, Thomam, excepto Bonaventura, nunquam directe insituisse questionem quae postea proposita fuit, an scilicet in primo instanti suae animationis b. Virgo fuerit sancta; sed aliam, utrum nempe b. Virgo fuerit sanctificata ante animationem. Quanam vero circa sancti-

tatem animationis fuerit doctrina s. Thomae, tunc disputabimus cum de traditione dogmatis disseremus. At post Scotum, qui clarus et pressius quaestionis punctum stabilisse videtur, revocans omnem disputationem de sanctitate conceptionis ad instans animationis, huiusque sanctitatem firmiteribus argumentis propugnavit; inter Scholasticos quoque, quorum numerus succreverat, et scholae distinctae fuerant, amplius in dies propagata est sententia pia, et communior evasit. Cf. Strozzii opus cit. L. IV, c. 22.

### Thesis LXXXV.

*Ex pluribus doctrinae capitibus quae in traditione catholica explicitae continentur, quaeque ad singulares Deiparae praerogativas referuntur, illud quoque tanquam in ipsis necessario implicitum eviderit deducitur, eiusdem nempe conceptum fuisse immaculatum.*

I. Quanam notio sanctitatis et puritatis conceptus b. Mariae continueatur in universa traditione potest certe duplici via dignosci. Primo si diserta adsint de hac determinata re testimonia, quae communem sententiam representent: secundo si penes leses traditionis ea occurrat constans et universalis fides de excellentia singulari b. Mariae, quae immaculatum quoque conceptum necessario includat. Hanc alteram viam nunc ingredimur. Argumentum 1. huc redit. Ecclesiastica Traditio continet necessario doctrinam de immaculato conceptu b. Mariae, si talis eiusdem sanctitas et puritas exhibeatur, ut et omnem labem peccati a Virgine excludat, et omnia ac singula instantia existentiae Virginis complectatur; atqui: ergo. Cum maior sit evidens: probanda est tantum minor. Liqueat directe quaestionem esse *de puritate*, h. e. de exclusione labis seu maculae culpa, atque huc testimonia affirmantia sanctitatem referenda esse, ut negatio cuiusque labis pro quovis instanti existentiae Virginis praedicata demonstraretur. Argumentum vero quo id primum demonstramus per gradus quosdam ascendendo evidenter consequi nitetur.

II. Iam vero constat, nec de hac re quaestio est, in universa traditione, sive consulas opera Patrum, sive monumenta liturgica, representari excellentissimam et singularissimam sanctitatem Deiparae: conferri possunt testimonia hac super re collecta in opere de Immaculato Conceptu a Carolo Passaglia Sect. 1. 2. 3. Constat eam Deiparae puritatem praedicari, ut frequentissime, constantissime, universalissime praedicetur simpliciter b. Maria *purissima, illibata,*

*inviolata, immaculata, innocentissima, παναγνος παναμωμος, παναχραντος, πανακηρατος απειρακαος* etc. imo per antonomasiam, absolute absque ullo addito, appellationibus *της αγρατου, αμωμου, αγνης, παναμωμου, πανυπεραχραντου* etc. indicitur; atque proinde *χατ' εξοχην* ea dicatur *η αμωμος η αγνη η αχραντος, η παναμωμος* etc. Immacolata (cf. *ibid.*) Porro quaestio est quid *adaequale* his sententis negantibus significatum fuerit. Itaque α) certum est vel solam positivam appellationem *του αγνου* innocentis, *του αμωμου, immaculati* non fieri simpliciter alicui, multoque minus, si antonomastice hae usurpentur, propter aliquod tantum tempus determinatum vitae suae, in quo fuerit ille expers peccati. Ita Petrus, Paulus, Augustinus, licet sanctissimi aliquando fuerint, non dicuntur simpliciter multoque minus antonomastice immaculati. β) Huiusmodi scilicet appellationes simpliciter usurpatae ad alicuius puritatem significandam comprehendunt certe totum vitae tempus quo quis capax est peccatorum personalium, excluduntque peccata omnia ab eo tempore saltem mortalitatis. Sequitur ex praecedenti, et liquet rursus ex ista omnium Christianorum, qui tantum huiusmodi sanctos, qui caruerint vel censeantur caruisse omni labe mortalitatis actualis peccati, ut utrumque Ioannem Apostolum et Baptistam, Agnelem, Aloisium, Stanislaum, appellant puros, innocentes, immaculatos. γ) Certum proinde est appellationes superius allatas, eisque pares factas b. Virgini excludere ab ea quancumque labem personalis peccati non dum mortalitatis, sed vel minimi venialis. Quandoquidem de veritate rei per se spectatae modo non est quaestio, satis sit quod dicimus hoc unico et certo argumento demonstrare. Sane testibus Patribus Tridentinis (Sess. VI. c. 23) Ecclesia credit de b. Virgine quod ex speciali Dei privilegio vitaverit ipsa in tota vita sua peccata omnia etiam venialia; testatur scilicet Tridentina Synodus hanc esse certam Ecclesiae sententiam (ideoque fidem, quandoquidem ea res non nisi ope revelationis certo cognosci potuerit), non vero illam tanquam adhuc dubiam sancit Synodus decreto suo: porro si quaeras ubinam professio huius doctrinae ante Synodum contineretur, et unde Patres Tridentini eam collegerint, non aliquid decretum oecumenicae Synodi, aut Apostolicae Sedis indigilare poteris, quod hanc rem definitiverit, sed solum tibi occurrunt eae frequentissimae appellationes quibus ab omnibus Christianis b. Virgo semper celebrata fuit *purissima, innocentissima, illibatissima παναμωμος, omni parte immaculata, παναγνος* ex toto innocens; *πανυπεραχρνος, totaliter et supra quam dici potest immaculata, innocens*, atque his similes ac potiores; ergo. Iam vero δ) sententia Ecclesiae sive Ecclesiasticae Traditionis expressa iis innumeris et

multiplicibus appellationibus, quibus b. Virgo praedicatur *immaculata*, ea est quae non tantum personalem quamvis labem peccati, sed prorsus quamlibet labem excludit; sive non aliquid spatium existentiae suae, sed omnino quodvis instans existentiae suae ideoque et primum complectitur; quod sic probamus.

III. Sane harum appellationum clarior explicatio per alias appellationes occurrit penes eosdem Patres ecclesiasticosque Scriptores. Etenim advertatur quod b. Maria 1) non dicitur tantum terminis positivis *sancta, pura, immaculata, αγια, ασπιλος αμωμος*, etc., sed 2) terminis superlativis excessum omnem possibilem significantibus *υπεραγια, υπεραχρνος, υπεραμωμος, παναγια, παναμωμος, παναχραντος, πανακηρατος, παναγνος, πανυπεραγια, πανυπεραχρνος, πανυπεραμωμος, υπερουλογημενη, παντευλογητος, supersancta, superinnocens, superillibata seu superpura ab omni labe, undequaque sicut ex toto sancta, ex toto pura, undequaque immaculata, ex toto immunis a labe, totaliter super quem dici potest sancta, pura ab omni labe, innocens, immaculata, superbenedicta, ex toto benedicta*. 3) Praeterea dicitur antonomastice *η παναγια, η παναμωμος, η παναχραντος* etc. 4) Neque id tantum, sed comparata cum ceteris dicitur *αγιων αγιοτερη, sanctis sanctior, αγιοτερη των αγγιων, sanctior angelis, καθαροτερη των ουρανιων νων, mundior caelestibus mentibus, αγιωτερα πασης της κτισσεως, sanctior tota creatione, μυριακις καθαρα decies milles pura, η αγιοπρωτος, πρωτιστη των αγιων, primum sanctiorum, θεοειδεατερα, ceteris Deo similior: atque nitens ea puritate, qua sub Deo maior intelligi nequit: et δευτερα της Τριαδος altera a Trinitate*. Imo 5) praedicatur Maria *η μονη αγια, μονη αγνη, μονη αμωμος, μονη αγια, μονη παναμωμος, μονη παναχραντος, μονη απθαρτος παντως, μονη πανυμνητος, μονη παντευλογητος, sola sancta, sola innocens, sola immaculata, sola bona, sola undequaque immaculata, illibata, incorrupta, sola undequaque laudabilis, benedicta*. Atque 6) adhibitis ipsis nominibus abstractis, quibus forma sanctitatis et puritatis representatur, dicitur b. Maria *αγνεας το καλλος, ipsa innocentiae pulchritudo, των ωρατων ωρασιστατων ωρασιμια, venustorum venustissima venustas*, et quod magis est, *καθαροτερα πασης καθαροτερη, purior anni puritate, eademque dicitur μονη αληθης δικαιοσυνη, sola vera iustitia*. 7) Tandem advertatur huiusmodi appositae se invicem complere, unam classem postulare aliam; tum haec appositae non solum virginitalis integritatem ac castitatem significare, sed simpliciter sanctitatem et immunitatem a labe peccati, adserique Mariae nondum Matri, imo adhuc trienni: ea porro frequentissime, praecipue post

Ephesinum Concilium, usurpari a Patribus, atque in ipsa liturgia, nec ab ullo unquam catholicorum fuisse reprobata: ea vero constantia et universalitate ad seculum usque XII fuisse frequentata, quae non nisi a certa persuasione mentem omnium occupante proficisci potest. Conferri possunt Menaea, ceterique libri ecclesiastici graecorum, Thesaurus hymnologicus Danielis, Opus Marracci Hippolyti inscriptum Mariale etc. Opusculum Wangnerikii Pietas mariana graecorum, atque in bibliotheca Patrum Graecorum Migne consulere licet canones seu hymnos Andreae cretensis, Sophronii Patriarchae, Damasceni, Cosmae, Theodori Studitae, Iosephi hymnographi etc. Cf. opus cit. Caroli Passaglia Sect. II. et Sect. VI. c. 5. a. 1: ae Ballerini passim.

Iam vero his continetur professio immunitatis a peccato pro quovis instanti existentiae b. Mariae, ideoque etiam pro primo instanti. Etenim a) ex his certe colligitur immunitas ab omni vel minima atque unica macula peccati venialis: ergo et immunitas a quavis prorsus macula peccati. Antecedens patet ex dictis sub litt. γ. Consequentia probatur quia cum conceptu expresso iis formulis non minus pugnat peccatum quodvis in aliquo instanti existentiae Virginis, quam determinate peccatum aliquod veniale ex subreptione, quod minimum est in genere peccati. Et re quidem vera nullis aliis formulis evidentioribus exprimi posset in confuso quidem sed clare et aperte immunitas totalis a quavis specie labis peccati quam si dicatur quod b. Virgo est totaliter et supra quam dici potest sive supra omnem modum sancta, pura, immaculata, quod est purior omni puritate, quod est sola sancta, sola immaculata, sola pura, sola purissima ab omni labe anima et corpore, et huiusmodi: indicium est ergo indubium huiusmodi puritatem cogitatum esse, cum usu constanti eae formulae adhiberentur, atque hanc puritatem, qui utebantur iis formulis, voluisse significare; vobuerunt enim significare id quod proprie et per se iisdem repraesentatur: atqui si evidentioribus formulis nequit repraesentari immunitas totalis a labe peccati, ea per se iisdem repraesentatur; debent enim esse quaedam formulae quae id per se significant, a quarum censu excludi nequeunt quae clarissimae sunt. Dices formulam clariorem esse hanc, nempe *immunis ab omni labe originali et personali*, aut huiusmodi. Respondeo 1) quod ea quidem formula est *distinctior*, quia ad species enumerandas descendit; nos autem loquimur de formulis in confuso idem significantibus, quae tamen et ipsae exstare debent, quemadmodum et conceptus certe habetur. Respondeo 2) quod licet huiusmodi formula sit *distinctior*, et hac ratione sit clarior; tamen non ideo est clarior quia aliquid novi dicat, sed tantum quia diverso modo dicit: quemadmodum differunt istae duae appellationes

*homo et animal rationale*. Quare eae formulae distinctiores sunt utiliores existente controversia, in qua amor propriae opinionis impedit ne videatur id quod per se est visibile, sed non existente controversia necesse non est eas adhibere, cum aliae prorsus sufficiant. Unde etiam intelliges cur minus frequentes usque ad seculum XII eae formulae distinctiores in Ecclesia latina occurrant. Et sane ipsa appellatio *Immaculatae*, adeo frequenter et *αατ' ἐξογγη* facta Virgini, huius totalem immunitatem a peccato demonstrat, si vim illius appellationis ex usu ecclesiastico assecutus est s. Ambrosius. Hic enim in expositione Isaiae (opus deperditum est, sed fragmenta exstant penes Augustinum; cf. hoc quod subdiximus in L. IV. c. 2<sup>o</sup> cont. duas epist. Pelag.) inquit: « Idcirco Christus *immaculatus* quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est' ».

Verum b) subdiximus praeterea quod enumeratae appellationes falsae forent, si aliquo instanti existentiae suae aliqua labe maculata fuisset b. Virgo. Et sane b. Virgo non tantum sanctior, sed purior dicitur Angelis, universaque creatura. Porro advertendum est discrimen inter sanctitatem et puritatem, quod tradit s. Thomas, qui in 1. D. 44. q. un. a. 2. ad 2. ait: « Dicendum quod *purius* dicitur aliquid per recessum a termino, *melius* per accessum ad terminum. Illud ergo quod omnino recedit ab impuritate culpae, est ita purum quod nihil potest esse eo purius, non tamen sequitur quod non possit eo aliquid esse melius ». Quod a s. Thoma vocatur *melius* idem est ac *sanctius*, sanctitas enim constituitur per accessum ad Deum. Cum ergo aliquid dicitur purum, significatur eius recessus ab eo quod dehonesta, quod labis et maculae rationem habet; et quo magis est purum, eo magis recedit ab eo termino. Cum vero aliquid dicitur *sanctus*, significatur eius positiva perfectio per assimilationem ad Deum, nempe per gratiam et caritatem. Recolendum est autem quod iam monuimus, nimirum aliquem non appellari simpliciter *purum* ratione tantum cuiusdam spatii temporis vitae suae. Iam vero b. Virgo et sanctior et purior dicitur fuisse Angelis. Quare non tantum sanctitas, sed puritas spectanda est in ea, sive sanctitas cuius propria sit ea puritas. Adseritur autem ea sanctitas et puritas b. Virgini in hac terra peregrinanti, ante conceptionem Filii Dei, cuius propterea digna existit Mater, adhuc trienni, cum in templo oblata est. Atqui Angeli sancti nulla unquam peccati labe inquinati fuerunt: si ergo b. Virgo aliquando peccati ullam maculam contraxit, nequit primo eis comparari, quemadmodum facit Gregorius Noeacensis (Orat. 3. in Deiparae annunt. c. 1. licet quidam de eius auctore dubitent): « Missus est Gabriel servus incorporeus ad Virginem *αμωλοντον* labe nasciam; missus est qui liber a peccato

ὁ ἀμαρτίας ἐλευθερος ad incapacem corruptionis πρὸς τὴν θοδρὰς ἀνεπίδεκτον». Quis non sentit in hac comparatione puritatem seu immunitatem a peccato non minorem censi in Virgine quam in Angelo? Verum praeterea advertatur quod non dicitur solum fuisse Virgo aequae pura ac Angeli sancti, sed *purior*; porro alius potest esse purior alio sive *actu*, sive saltem *potentia*, *actu* propter carentiam labis maiorem prae alio; *potentia*, propter repugnantiam maiorem cum labe. Angeli autem sancti *actu* purissimi fuerunt et sunt; si ergo eis purior fuit b. Virgo, ideo fuit purior eo quod potentia etiam magis recederet ab impuritate, h. e. magis ei repugnet ulla labe, utpote Deiparae, quam Angelis. Atqui si magis repugnant labe peccati Virgini quam Angelis, et hi lae quavis semper caruerunt; ergo repugnat b. Virginem ullam labem peccati aliquando contraxisse. Dices Mariam puriorem fuisse Angelis postquam mundata est a peccato, et sanctificata. Respondeo titulos huiusmodi *puri*, *ilibati*, *immaculati* non tribui alicui simpliciter, ratione tantum alicuius spatii vitae, sed negativi cum sint, negare omnem labem, et quodvis tempus vitae comprehendere; ideoque Angeli qui tota existentia sua labe caruerunt, puriores dicendi sunt, licet non sanctiores, eo qui aliquando labe maculatus fuit. Ut ergo quis iis purior vere dicatur, debet in primis alienus semper fuisse ab aliqua labe. Ceterum cum comparatio fit inter homines, quos constat originali labe fuisse foedatos, significatio earum appellationum determinatur, ratione utriusque subiecti, ad puritatem personalem: verum cum comparatio instituitur alicuius cum Angelis, iisque praefertur, ratio termini alterius comparationis, qui semper caruit peccato, postulat ut secundum totalem existentiam comparatio utriusque fiat in puritate, ut simpliciter et absolute alter eo purior, magisque immaculatus asseratur. c) Praeterea pugnant aperte invicem haec, Mariam fuisse *puriorum omni puritate*, esse *ipsam pulchritudinem innocentiae, ipsam venustatem*, esse antinomastice *τὴν ἀγνάν, τὴν ἡμιωρον, τὴν ἀγρᾶντων* etc. atque simul fuisse impuram, maculatam, foedam. Huiusmodi enim appellationes creaturae tributae significant eam gradum perfectionis, qui in suo genere maximus haberi potest a creatura. At immunitas totalis a quavis labe peccati maximus est gradus puritatis, possibilisque est creaturae. Quod quidem d) clarissime quoque significatur, cum b. Virgo praedicatur *sola sancta, sola innocens, sola immaculata, sola penitus immaculata*, et huiusmodi; ita ut nemo praeter ipsam sit intemeratus, nemo inculpatus, ut ait Iosephus hymnographus in Menaeis die 17 Maii Ὁδὸ γ. Ut enim ipsa b. Virgo comparata cum ceteris sanctis praedicari merito possit non tantum iis sanctior, et purior, sed sola san-

cta, sola pura, necesse est ut in nulla praerogativa puritatis sit eis inferior, maximumque gradum puritatis attingat, sitque, quoad eius fieri potest, Christo simillima, cui haec appellationes primo et per se competunt: atqui haec omnia falsa forent si vel uno instanti peccati labe b. Virgo fuisset foedata. e) Tandem si analysis quoque instituat eorum appellationum *παναγία, παναγνος, ὑπεραγία, ὑπεραγνος, πανυπεραγία, πανυπεραγνος, παναμωμος, παναχραντος, ὑπεραμωμος, ὑπεραχραντος, πανυπεραμωμος, πανυπεραχραντος*, liquet facile sententia, quam defendimus. Emphatica enim haec sunt atque illa negativa negant prorsus ullam labem; hisque latinis respondent: *pura ab omni labe, expers omnis labis*. Scilicet illa duo addita *παν* et *ὑπερ* totalitatem et excessum significant et utrumque sine ullo limite determinato, sed indefinite quantum nempe a creatura capi potest: ut nimirum tum quoad extensionem durationis, tum quoad intensionem perfectionis, sanctitatis, innocentiae, puritatis et a labe immunitas sit quanta esse potest in creatura, sit ea qua maior sub Deo nequeat intelligi, omne instans vitae complectatur, sitque semper supra omnem ordinem ceterasque vel purissimas creaturas excellentissima. Ergo.

IV. Et ne videamur solius graecae Ecclesiae auctoritati inniti, licet ratione consensus utriusque Ecclesiae graecae et latinae satis sit explicita testimonia ex alterutra prodeire, et licet ex formulis citatis non paucae occurrant quoque penes latinos, volumus idem argumentum instaurare ex Ecclesiae latinae sensu, qui specialiter se prodidit cum controversia vigeret. Etenim historice constat huiusmodi factum: scilicet excitata et vigente controversia in scholis, fideles generatim abhorruisse a sententia maculati conceptus Virginis, ac in dies magis firmiter adhaesisse sententiae immaculati conceptus. Huius porro persuasionis aliqua ratio esse debuit: constat autem quod neque argumenta certa ex Scripturis aut ex disertis justificationibus Patrum tunc producta erant quibus extra dubitationem poneretur haec veritas; at argumento certissimo fidelibus hoc unum fuisse, nempe puritatem divinae Matris maximam esse debere, repugnare conceptui, quem de innocentia et sanctitate Deiparae gerebant, labem ullam quae vel uno instanti ipsi inhaeserit. Iam vero hoc factum modo summus, et ex eo ita arguimus. Conceptus iste puritatis Deiparae omnibus Christianis mentibus insitus spectat profecto ad notiones christianas, eas nimirum notiones quae vel explicitae vel implicite in deposito revelationis contentae commendatae sunt ab Apostolis Ecclesiae; nulla enim alta origo huius notionis, quae universalis erat seque magis explicabat firmiorque evadebat quo magis Theologi inter se concertabant, assignari potest. Atqui

talis notio puritatis ita representat immaculatam Deiparam ut labem originalis culpae prorsus ab ea excludat; ergo immaculatus conceptus revelatus est Ecclesiaeque traditus ea traditione qua perfectissima puritas Virginis Deiparae tradita est, quam quidem traditionem Ecclesia latina semper custodivit.

V. Argumentum 2. In praedicatione Ecclesiastica talis representatur h. Virgo ut censenda sit secreta prorsus a conditione infecta adamicæ posteritatis, immunitis ab eius corruptione et turpitudine, ita ut ex adverso sibi respondentem ea misera conditio naturae depravatae ac conditio b. Mariae. Sane o) affirmant Patres *omnia* in ea fuisse inusitata quadam ratione *innocata*, ut verissime sint *nova* quoad eam *omnia, excedantque omnem cogitationem, omnem potentiam* (Georgius Nicomed. Orat. 6. De Deiparae ingressu. Auct. Combet. T. I. p. 4130. Andreas Cretensis Orat. cuius initium *μυστηριον ἢ παρρησια* apud Nicodemum monachum in *Εορτοδρομιο* pag. 666. Germanus Constant. Orat. in S. Mariae Zonam) ipsam esse *novae creationis caelum, fulgidumque massam novae creaturae* (Proclus const. or. 4. in Deiparam, Venantius Fortunatus in laudem Deiparae poemat. p. 1. L. 8, c. 6.); *leges naturae in ea fuisse innovatas* (In Menaeis die 13. Decemb. Ode δ); eiusque esse *pulchritudinem incredibilem, qualem nulla unquam habuere tempora* (Emmanuel Palaeologus Orat. in Deiparae Dormit. apud Maracci Caesares mariani) ita ut *neque in caelo inveniantur creaturae quae digne laudare queat magnificentiam eius, librumque aperire praerogativarum suarum, quoniam imperscrutabilia sunt universa* (Bernardus Toletanus Serm. 2. in Sive Regina). Idecirco Maria est *ὑπερρουσάτατος και θεουργικωτάτος άνθρωπος*, homo supra naturae modum excellentissimus, ☩ factura plane divina (Isidor. Thesal. Serm. in Deiparae Praesent. n. 8. Ballerini T. I. p. 435): atque est *inexplicabile miraculum, miraculorum abyssus, charismatum pelagus* (in Menaeis Die 8 Febr. Ode θ. Damascenus hom. 1. in nat. B. Virginis in Paraclit. pag. 393. ed. I. Venet. an. 1837.). Porro ratio novitatis et miraculi non spectat tantum ad Divinae Maternitatis dignitatem, sed ad sanctitatem pariter; nam *omnia* quae ad Virginitatem pertinent dicuntur *nova*; atque haec encomia illi adseruntur adhuc trienni quemadmodum Georgius orat. cit. angelos stupentes super Virgine puellula loquentes inducit: « *Novum ac stupendum quod cernitur, nobisque ignotum. Apparet femina mente nostra superior. Prae hac una insignia naturae nostrae dona deficiunt* ». Atque propter ea dicitur evecta ad dignitatem Matris Dei; ita Emmanuel Palaeologus l. c. « *vere beatam matrem oportebat mihi esse illam, cuius anima incredibili pulchritudine esset ornata, et qualem*

nulla unquam habuere tempora. Itaque praevio in ipso summo candore... subsequenter est ut mea fieret mater ». Quare tum cum eius sanctitas praedicatur, dicitur miraculorum abyssus, ut in Menaeis Die 8. Febr. « *Quum te o Deipara, miraculorum abyssum, atque charismatum pelagus, o innocens, nos cognoscamus ac probe sciamus* ».

Hinc l) quae de Christo dicuntur, qui fuit novus homo, ac dicitur ratione huius novitatis, ea quoque per participationem adseruntur Mariae ipsique soli. Sane Maria praedicatur atomastice *filia Dei ἢ θεοπαίς, Θεου θυγατήρ* (s. Tarasius in Deiparae praesent. passim, Isidorus Thessalon. or. in Deiparae nativit. n. 42; Ioannes Euboeensis Or. in Concept. S. Deiparae n. 14. penes Ballerini T. I. p. 77; vetustus auctor libri de ortu et obitu Patrum tribuit Isidoro n. 36; in hymnis latinis medii aevi apud Mone pag. 93) *unigenita, ἢ μονογενής* (Damascenus apud Nicodemum in heortodrom. p. 66, et in brev. arm. p. 741. n. 3.) *primogenita ἢ πρωτοτοκος* (Damasc. Orat. 1. in Deiparae nativit.) *plena gratia et veritate* (vulgatus Augustinus apud Mai. in nov. pp. biblioth. T. 1. Serm. 194. de Assumpt. Virginis n. 3) *sola sancta, sola illibata, sola immaculata*, quod iam vidimus: atque ea *in qua omnes benedicti sumus*; ut ait Ioannes Geometra (penes Mai Script. vett. T. 9. p. 630) « *Benedicti tu in mulieribus, quemadmodum homines vicissim in filio, salus vero tam hi quam illae in ambobus* » (cf. Bruno Astensis in Luc. §. 3. Petrus Damiani serm. 16. in Virginis nativ.).

Proinde c) quemadmodum Christus novus Adamus opponitur veteri Adamo, ita pariter Maria opponitur Evae... Ambae purae (ait Ephraemus Serm. 4. exeg. in divi. Script. Tom. 2. Syriac.) ambae simplices Maria et Eva sibi ex adverso respondent, altera mortis nostrae, altera vitae nostrae causi fuit. » Et Irenaeus (Cont. haer. L. III. c. 22). « *Quemadmodum Eva virum quidem habens Adam, virgo tamen existens, inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc lex eam quae desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius, qui desponsaverat, vocat, eam quae est a Maria in Evam recirculationem significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compagine alligationis reflectantur retrorsus, ut primae coniunctionis (Adam et Eva) solvantur per secundas (Christum et Mariam), secundae rursus liberent primas. » Hic scilicet fuit ordo divinitus institutae reparationis humani generis, ut duplici illi binario Adamo et Evae opponeretur alter Christus et Maria, et per hanc secundam coniunctionem solveretur et repararetur quod alligatum fuerat et perditum per*

primam. Quare non tantum actus specialis illius obedientiae Mariae spectandus est, quemadmodum nec seorsim actus obedientiae Christi spectatur; sed persona ipsa quatenus sancta, sivo universim sanctitas eius seu gratia spectanda est, ex qua perfectio illius processit, quemadmodum sanctitas personae Christi ea est propter quam obedientia eius par fuit reparandae culpae. Et sane quod comparatio fiat inter Evam et Mariam quoad sanctitatem discimus quoque ab Antipatro hystrensi (Serm. in Annunt. Deiparae penes Ballerini T. 2. p. 20): « Angelus ad eam: ne timeas Maria, invenisti enim gratiam, quam perdidit quae primo condita est. Ipsa cum sola esset deceptionem admisit, tu vero dum sola manes, deceptionis solutionem obtinuisti. » Quam comparationem innuit quoque Sophronius Patriar. Hierosoly. (Or. in Deiparae Annunt. n. 25. penes Ballerini T. II. p. 74.): « invenisti apud Deum gratiam immutabilem ἀειήτων, invenisti apud Deum gratiam τῆν ἀίδειον quae aeterna est, quae semper est et manet. » Porro hic est finis cur Maria adeo sancta et pura exstiterit ut nempe cum Christo subveniret orbi perditio: quod docemur a Damasceno (Or. 4. in Deiparae nativ.) qui de ea inquit: « O divinum vivumque simulacrum, in quo conditor Deus pulcritudine delectatus est (lectio in edit. Lequien εὐροχρῶν in edit. Billii εὐρεθῆ...), vitam naturae potioem habebis; habebis autem non tibi, quippe quae non tui ipsius causa genita sis (utique adeo pulcra ut tua pulcritudine delectatus sit Deus). Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi salutem administram te praeberes. » Eadem est sententia nobilissimi Patris Theodoti episc. Ancyranus sec. V. in orat. in S. Mariam Deiparam (Gallandi Tom. IX. pag. 475). « Pro ea quae ad mortem ministram exstiterat virgo Eva, virgo Deo gratissima ac Dei plena gratia in vitae obsequium eligitur, virgo muliebri comprehensa sexu, ac mulieris exsors nequitiæ: virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta animo et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans... quae necdum nata auctori Deo consecrata sit... Hanc nobis conditore dignam donavit divina providentia bonorum conciliatricem, non quae ad inobedientiam incitet, sed quae ad obsequendum ductrix existat, non quae fructum letiferum porrigat, sed quae panem vitalem praebeat. » His omnibus consonat vulgatus Augustinus (serm. 120 in Nat. Domini 4. Tom V) ita utramque Evam et Mariam opponens: « Ut vitiorum sordibus obsoletus horribiliter squaleresceret mundus ab origine iam in paradiso captivus, femina causa fuit: » subdit deinde neminem existitisse volentibus seculis, qui delere posset peccatum; dignum ea autem animadversione quod dicit de Davide: « David in iniquitatibus se

faturus esse conceptum, nec ipsa ergo mundi potuit auferre peccatum. Cum per has igitur temporum girantium rotas mundiale curriculum volveretur, neque quicquam medereretur... ad feminam causa revertitur, et origo per originem detruncatur. » Scilicet Maria comparatur ex adverso Evae, *origini origo*: Maria nempe est altera origo, principium novi ordinis; ordinis iustitiae et salutis... Quod quidem ceteri esse non potuerunt quia peccarunt, vel saltem in peccato concepti fuerunt: origo est ergo Maria novi ordinis sanctitatis; eaque discernitur ab universa naturae depravatae conditione.

Et sane *θ*) status naturae per peccatum corruptae ita describi consuevit ut sit *status tenebrarum*; at Maria his tenebris opponitur, asserturque esse lux quae tenebras istas dispellit. « Te sanctissima (ait Methodius Serm. de Symeone et Anna § I.) clarissimi instar diei mundo affulgente, solemque illum iustitiae producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est. » S. Tarasius or. in Deip. praesent. n. XII. « Quo igitur nomine Mariam appellabimus?... an sole? ipsa enim septies sole splendidior entens, iustitiae solem consepit... An candelabrum? etenim in tenebris et umbra mortis sedentibus lux refusit. » Item status naturae corruptae dicitur et est *status mortis*: at Maria praedicatur, eaque sola *filia vitae*. Ita Dionysius Alex. (epist. adv. Paulum Samosat. c. 1.): « una autem et sola Virgo *filia vitae* θυγατρὸς ζωῆς genuit Verbum vivens. » Imo ipsa dicitur *iamna vitae, vivificatrix naturae*. « Vitae porta ζωῆς ἡ πόλη, impervia, spiritalis, Virgo Deipara, inupta, pande mihi precibus tuis clausus olim paradisi fores; » (in offic. quadrag. Domin. tyroph. Od. 97) « Celebrare decet τῆν φροσύων κορηῆν puellam vivificantem naturam. » (In Pentecost. pag. 681. edit. venetae 1837). Rursus status lapsae naturae est *status spoliationis et denudationis*, seu *privationis gratiae*: atqui huic opponitur Maria. Ita S. Germanus (Orat. in Deiparae praesent. n. 8. Ballerini T. I. pag. 306) inducit parentes Virginis alloquentes Sacerdotem: « tene eam, quae partu suo vim mortis, et inferni tyrannidem debellabit: complectere eam, quae naturam nostram in Edem expoliatam conteget. » Unde ipse auctor in fine n. 43. sic Virginem compellat. « Ave quae dum glorioso et non manufacto indumento ornata, hodie in Sancta Sanctorum ingrederis, nos, qui ob mortiferum amismisque exaltalem cibum, denudati fueramus, purpurea veste, videntur circumiecto divinitus remissionis pallio superinduisti. » Idemque sanctissimus Pater a statu naturae lapsae, qui est status *inundationis peccatorum*, eximit b. Virginem, eamque illi opponit, ibid. n. 2. « Hodie in propitiario ea reponitur, quae sola, mortalibus inundatione peccatorum in transversum actis, novum

Deoque simillimum, et emundandis virtute praeditum, et haud quamquam manibus hominum constructum propitiatorium evasit. »

Rursus (c) massa humani generis damnata comparatur veteri conspersioni vitatae fermento veteri peccati (1. Cor. v. 7): Maria autem fermentum dicitur sanctum, Deo perfectum, quo massa humani generis fermentatur, fermentum scilicet novum a corruptione massae prorsus alienum. « Ave (inquit Andreas Cretensis Oral. in Deipar. annunt. Gallandi T. XIII, p. 402) fermentum sanctum, Deo perfectum, quo tota humani generis massa fermentata est, et ex uno corpore Christi panis facta in unam coivit admirabilem concretionem. » Item homines quatenus spectant ad statum naturae lapsae dicuntur *terreni*, fierique caelestes dicuntur, cum ad gratiae statum transferuntur: atqui illud idem de Maria negatur. Ioannes Euboeensis (ort. in Concep. S. Deiparae, n. 12. Ballerini T. I. p. 73): « Vos beati, ac ter beati Ioachime et Anna: ac milites beatorum Davidis progenies ac filia, quae a femore atque utero vestro egreditur. Vos enim (sancti utique tunc erant) terra estis, ipsa vero caelum; vos terreni, per ipsam vero qui sunt terreni status evadunt caelestes. »

Tandem f) status naturae lapsae repraesentatur ut *campus sentibus horrens*, quae sunt peccata: porro ab his prorsus immunis dicitur Maria. Alanus de Insulis (sec. XIII in Anticlaudiano L. V. c. 9. Migne P. L. T. CCX. pag. 538) canit: « Nescia spineti florens rosa, nescia culpae-gratia, fons expers limi, lux nubila pellens. » Et Hildebertus sec. XI. in libello, cui titulus *Floridus Aspectus*, Carmine de Nativ. Christi, canit de Virgine: « Omnis virtutum species, et aromata totam - te simul aspergunt thuris odore sui - Tu sine defectu radius, tu flos sine spina, - tu sine nube dies, tu sine sorde parens. » Quibus consentit rhythmus de Nominibus b. Virginis excerptus ex eod. sec. XII, relatus in Spicilegio Solesmensi T. III, p. 451. « Haec est mundi medicina, - mundi purgans Iosium. - Haec est rosa sine spina, - castitatis lilium. » Atque ei concinit eiusdem seculi Adamus a S. Victore in rhythmo in Assumpt. b. V. (Migne P. L. T. CXCVI p. 4502) « Salve Verbi sacra parens, - flos de spinis spina carens, - flos spineti gloria. - Nos spinetam, nos peccati-spina sumus cruentati; - sed tu spiniae nescia. » His vero respondent quae habet Theodotus loco superius citato, et quae habet Petrus Argorum Episcopus (Or. in Concep. Deiparae Ballerini T. I. p. 437. seq.): « Hodie propterea universae creaturae gaudio gestiunt, et natura nostra laudis et gratiarum actionis voces ad Deum attollit, inquiring: gratias tibi ago Domine (perpende esse naturam, quae loquitur) quod me, quae sterilis eram, ac gignendi impos (non quidem homines, sed sanctos) ad sobolem procreandam excitasti:

quod spinas, quibus germinandis damnata fueram, avellere a me coepisti... Nunc in Annae utero ex me edita rosa, Maria inquam, meum, qui est ex corruptione, factorem e medio tollit, nunquam ipsa odorem tribuens, divinae exultationis participem me efficit. Per mulierem hucusque ipsa infelix, per mulierem modo beata effecta sum. »

His positus en argumentum: creatura quae est *nova*, *nova quoad omnia sua*, *nova ratione sanctitatis*, ita ut proinde *simillima sit Christo homini novo*, atque *opponatur ex adverso causae vetustatis naturae*, atque *ab hac vetustate aliena asseratur*; ea creatura, inquam, immunis fuit ab eo omni quod ve-nustatem constituit, quodque est praecipuum elementum vetustatis, cuiusmodi est peccatum originale. Id ex ipsa ratione contrarium patet. Atqui si haecenus enumerata in unum colligantur, habemus, quod Maria est *nova creatura*, *nova quoad omnia*, *nova ratione sanctitatis et puritatis*, *Christo homini novo simillima*, *opposita Evae*, *quae naturae vetustatem induxit et ab hac vetustate seu corruptione prorsus est aliena*; quae propter suam sanctitatem origo sive initium est novi ordinis, quo natura scilicet renovatur, et ad gratiae statum transfertur: ergo.

VI Argumentum 3. Doctrina est Patrum Ecclesiae confirmata suffragio b. Virginem meruisse ut esset Dei Mater. Ita Ecclesia Latina in officio eiusdem: « *Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Christum Dominum*: » et in antiphona paschali: « *Regina caeli laetare, quia quem meruisti portare, resurrexit*. Idem docet Alexander III in epist. XXXII ad S. Ildanum Iconii, quem de fide instruit: inter ea enim, quae ipse vocat Christianae fidei capita, hoc quoque locat « *Magna et omni laude dignissima fuit Mater et Virgo Maria beatissima, quae tantum Dei et hominis mundo edidit mediatorem, et nostram parere meruit Salvatorem*. » Haec porro est sententia Hieronymi (ep. XXII ad Eustochium n. 38) « *Propono tibi b. Mariam, quae tantae exstitit puritatis ut mater Domini esse mere-retur*. Idem testatur auctor Tract. de Concep. b. Mariae (inter opera s. Anselmi) affirmans Mariam « *tanti apud Deum prae omni creatura esse, ut mater eius dignissima fieri meruerit*. » Id et Augustinus docuit testimonio mox referendo. Iam vero meritum huiusmodi in hoc positum esse docet s. Thomas (3. p. q. II. a. 11. ad 3): « *non quia meruit ipsam incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congruo posset esse mater Dei*. » Est: nempe meritum non exigentiae, quod est impossibile, sed congruentiae: fuit nempe talis Virgo qualem decebat esse Dei Matrem. Et re quidem vera ut idem s. Doctor

arguit (ibid. q. XXVII, a. 4.): « Illos quos Deus ad aliquid eligit ita praeparat, et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud: idoneos nos fecit ministros novi testamenti. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundum quod Angelus ad eam dicit: invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies. » Ex dictis autem liquet dignitatem seu idoneitatem Mariae fuisse positam in speciali eius sanctitate et puritate. Quod Petrus Argorum Episcopus testatur (or. in Concep. Deiparae n. 9.). « Oportebat ut quae tam admirandi operis administra foret, quippe quae (proh mirum!) Dei mater futura erat, *unicersos homines puritate antecelleret*; atque Anselmus (De Conc. virg. c. 18): « Decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius. »

Iam vero puritas quam Patres Mariae adserunt pro hac dignitate divinae maternitatis, ea est certe quae excludit quodcumque vel levissimum peccatum veniale; non tantum id quod existerit in anima eius, tum cum concepit Deum; sed quod aliquando existerit sive postea, sive ante. Haec est profecto sententia s. Thomae, qui post verba ultimo loco citata prosequitur: « Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando; tum quia... ignominia Matris ad Filium redundasset, tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem suscepit. » Atque haec est sententia Augustini, qui (De natura et gratia c. 36) eam quaestionem versans, an iustus aliquis sit sine peccato, loquens proinde certe de peccatis venialibus, cum id generativum de omnibus iustis neget, addit tamen exceptionem: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum quod concipere et parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum » (ita quoque s. Thomas legebat hunc locum Augustini 3. p. q. XXVII, a. 4. sed contra).

Est ergo explicita doctrina Patrum (quod et Synodus Tridentina testatur Sess. VI. cn. 43) Mariam propter dignitatem divinae Maternitatis immanem fuisse ab omni labe peccati venialis. Utrum id solum explicitè docuerint, videlicet postea. Nunc hac doctrina contenti sumus; colligimus enim. Atqui in hac explicita doctrina Patrum illa implicite quoque continetur, quod nempe a b. Virgine abhaerit quoque in primo instanti existentiae suae peccatum originale. Nam 1) ratio quae asfertur non minus valet pro peccato origi-

ginali quam pro veniali: ratio enim est ut esset *dignissima mater Dei*, utque ad hoc consequendum antecelleret puritate omnes creaturas, utque ea puritate niteret quae maior sub Deo nequit intelligi; ratio est scilicet *honor Domini*, propterea quod tantum gratiae collatum est Mariae *ut vinceret omni ex parte peccatum*: atqui rationes hae valent pro quovis peccato. Imo 2) magis valent pro originali quam pro veniali: licet enim hoc sit minus ex parte voluntarii, tamen simpliciter ratione peccati atque ignominiae est originale maius, quod privat Dei amicitia, subicitque hominem servituti diaboli; quod maximum dedecus fuisset divinae Matri. Cum ergo Patres exclusionem peccati venialis non ex indole propria peccati venialis repellant, sed ab eo quod est ipsi commune cum peccato originali, quodque imo magis in hoc reperitur, ignominia nempe Matris, quae redundat in filium, et oppositio cum summa puritate quae Matrem Dei decet, qua deficiente non fuisset digna Mater Dei qualis reapse fuit; sequitur doctrinam Patrum adaequatam excludere quoque a Virgine originale peccatum.

NOTA. Sententiae huius, scilicet *Maria dignissima est Dei Mater, dignissima autem propter excellentissimam sanctitatem et puritatem, eamque puritatem quae quodvis peccatum tum actuale tum originale excluderet*, testis perpetuus fuit populus Christianus, qui ante sollemnem definitionem, vel ex eo solum firmiter assentiebatur doctrinae de Immaculato Conceptu, quia b. Virgo Mater est Dei. Hoc enim non erat simplex quoddam humanum ratiocinium, sed sensus constantis Traditionis, quae b. Virginem dignissimam Matrem Dei credebatur ob excellentissimam ac plenissimam sanctitatem et puritatem, ut iam advertimus.

VII. Argumentum 4. suasivum saltem praebent Patres non pauci ique nobilissimi, cum dubitant de morte Virginis, vel stupent in eisdem mortalitate, eam exemplam a debito moriendi affirmantes; et ideo sollicitè rationes conquirentes, quibus suadeatur conveniens fuisse ut Deipara moreretur, nunquam tamen adducio in medium peccato originali. Ad primam classem pertinet certe Epiphanius in haer. LXXVIII adversus antiochomanianitas n. 11. inquit: « ego pronuntiare illud vereor et tacita apud me cogitatione reputans mihi silentium indico. Quippe haud scio an de ss. illa ac beatissima Virgine obscura quaedam inveniri vestigia possint, quae incertam nobis illius mortis fidem faciant... Quamquam illud non affirmo penitus (sine morte ad alteram migrasse vitam), neque aut immortalem perseverasse defino, aut utrum mortua sit confirmare possum ». Cui consentire videtur auctor sermonis in festo Assumptionis b. V. inter sermones Augustini; qui sermo ab aliis Fulberto Carnotensi, ab aliis



Ambrosio Auberio abbati cassinensi sec. IX tributus fuit; hic enim auctor, postquam dixerit dementes esse qui corpus h. V. in terris quaerunt, statueritque nullam certam exstare historicam narrationem de eius morte, subdit: « vera autem de eius assumptione sententia haec esse probatur, ut secundum Apostolum, sive in corpore (h. e. quin moreretur), sive extra corpus (h. e. postquam mortua est) ignorantes, assumptam super Angelos credamus »: Sic enim accepta eius verba cum praecedentibus coherent magis. E ceteris advocari possunt Andreas cretensis (Orat. in Deiparae dormit. apud Gallandi T. XIII, p. 149), Damascenus (orat. in Deiparae Dormit. I. §. 10; II. §. 2.) Ioannes Euchaitensis (Orat. in Deiparae Dormit. n. 20. Ballerini T. II, p. 377.) Germanus Constantinopolitanus apud Combef. Auct. T. I, p. 1433.) Modestus Patriar. hierosoly. orat. in) Deipar. dormit. n. 13. Migne P. G. T. LXXXVI, tum ipsa Ecclesia graeca in Menaeis die XV. Augusti ex Iosepho hymnographo O3. z'. Mirantur enim Mariam obisse; causasque investigantes cur mortua sit, eas exinde repetunt vel quod « mortuus carne sit mundi conditor, » vel ideo quia « Maria erat homo », quia « oportebat ut quod de terra conflatum erat, ad terram reverteretur: » vel ne incarnationis mysterium species aut phantasia, non solida veritas infidelibus videretur. » Quorum omnium sive admirationis Patrum, sive allatarum rationum vis si perpendatur, liquebit cur dictum sit a Damasceno Orat. II, l. c. Mariam *ut filiam veteris Adae paternam sententiam subiisse.* » Cuius sententiae sensus ex toto contextu elucet: ait enim: « Nam quae veram vitam protulit, qui tandem morti subdita fuisset sed cedit legi ab eo latae quem genuit; et *ut filia veteris Adae paternam sententiam subdit.* Nam (en ratio cur Maria tanquam filia veteris Adami paternam sententiam subeat) et eius filius, qui vita ipsa est, eam non recusavit. » Doctrinam Ecclesiae graecae expressit Synodus hierosol. an. 1672. contra errores calvinianos celebrata, dum probavit haec excerpta ex homilia Cyrilli Lucaris: « Nullam e contagione peccati mortis suae causam habuit Virgo sanctissima, sed ex ipsis dumtaxat naturae principiis, quibus vel ante peccatum homo constabat; morti quippe suapte natura quamvis optima obnoxius erat ille. » Iam vero si Patrum menti haec inhaesisset sententia, Mariae primordia fuisse culpa originali vitata, in promptu ratio erat cur ea mortua sit, ipsa nempe culpa originalis: nec causa erat cur vel de morte eius dubitaretur, vel penitiores rationes exquirerentur. Supponebatur ergo tanquam certum eam deesse rationem, seu Mariam immunem fuisse a labe originali.

VIII. Argumentum 3. quo idem pariter saltem suadetur. Constat frequenter Patres comparare b. Virginem, a qua Christus ortus est,

terrae virgini et qua plasmatus est Adam. Cf. epist. presbyterorum Achaiae (Gallandi T. I. p. 156.) Tertulianum (De carne Christi c. 17) Irenaeum (cont. haer. L. III, c. 21), Auctorem sermonis 119 in Append. Oper. Augustini T. V. Theodotum ancyranum (Orat. in Christi nativ. §. 1.), Proclum (Serm. de nativ. Domin. apud Mai Spicil. rom. T. IV. p. 92) Andream Cretensem (Orat. in Deipar. annunt. apud Gallandi T. XIII. p. 102), Sophronium patriarch. hierosol. orat. in Deipar. annunt. n. 49. penes Ballerini T. II. p. 128). Alexandrum III, in Instructione fidei Catholicae ad Soldanum Iconii. Porro non eo tantum spectat haec comparatio ut b. Mariae integra virginitas praedicetur: ut quemadmodum terra prior « nondum compressa opere, nondum sementi subacta fuerat, nondum pluviis rigata aut imbris fecundata fuerat », ita Maria absque ope viri ex Spiritu S. ediderit Christum. Veram in hac comparatione illud quoque spectatur, scilicet terram illam fuisse *mundam, benedictam, nondum maledictio- ni obnoxiam.* Sane id innuit primo Ambrosius enarrat. in Genes. II. de Paradiso ad Sabinum) exponens cur terram, e qua factus primus homo est, dixerit *virginem*, subdit enim: « quae ad verbum Dei formata, et creata recenti fuerat exortu, nondum parricidiali caedumque concreta sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiae hereditatis. » Tum declarant ii qui b. Mariam *terram benedictam* vocant; quemadmodum in Psalterio quod tribuitur s. Anselmo: ave *terra benedicta*, in qua cantatur canticum, quod in terra aliena cantare non est licitum. Item Guerricus Abbas (Serm. II. in Deip. annunt. Bibl. max. lug. T. XXIII, p. 802) « *Maledicta terra* in opere praevaricatoris... et nunc *benedicta terra*, quae omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore caeli salvatorem germinat. » Et in epistola citata presbyterorum Achaiae ita s. Andreas loquitur; « sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus formatus est *ex terra virgine nunquam maledicta.* » Unde huius terrae puritas commendatur, quae peccato Evae adversatur, ita enim inquit Proclus l. c. « Adam pariter a creatore de virgine terra formatus fuit... nunc per Domini nostri in carne dispensationem sanctificata est terra... hodie Evae error ablati fuit, et condonatus per Virginis Mariae puritatem, perque Deum simul et hominem ex ea natum. » Et ro quidem vera cum adeo in mente Patrum connexa essent haec duo, nimirum *divina materitas, et dignitas eiusdem ex sanctitate et puritate excellentissima*, quoties Deiparam *terram virginem* praedicant, non sola virginitas carnis, sed et spiritus, eaque excellentissima intelligenda est, quae maxima puritate continetur.

Et sane si ea comparatione id tantum vellent dicere Patres, scilicet

cet quod quemadmodum Adam a Deo ex terra factus est, secus ac alii homines, ita Christus ex Maria non ope viri, sed per virtutem Spiritus S. genitus est: comparatio ita institueretur, ut diceretur Adam ex terra sola, ex terra rudi, absque ministerio causae secundae prius in carnem humanam elaborata factus fuisse: atqui terra *virgo* semper dicitur: *virginitas* terrae prae oculis semper habetur: porro *virginitas* munditiam quamdam et puritatem specialem eius terrae per se significat. Ea autem si ad Mariam transferatur, quae digna exsiliit Dei Mater, dignaque ob puritatem, atque ita transferatur ut ideo dicatur Maria terra *virgo* ut eam esse dignam Dei Matrem significetur; liquet in hac comparatione virginitatem sub ratione puritatis accipi.

Iam vero comparatio haec Mariae cum terra, de qua formatus est Adam, *terra munda, nondum maledicta*, cogit nos cogitare *puritatem originalem*; huiusmodi enim fuit mundities et benedictio propria illius terrae: ergo.

### Thesis LXXXV.

*Explicita quoque affirmatio immaculati Conceptus Deiparae in universa catholica Traditione continetur.*

I. Gradum facimus ad testimonia explicita Traditionis: dicimus huius veritatis testimonium explicitum illud, quod de peccato originali diserte agit, seu quod immediate refertur ad ipsum primum instans existentiae b. Virginis, atque hoc immune a labe peccati docet. Duplice autem modo habere se possunt haec testimonia: nam vel metaphorica locutione, vel terminis propriis eadem veritas affirmari potest. Quia vero, cum fundamentum translationis notum est, non minori claritate metaphoricae propositiones gaudent, quam quae terminis propriis efferuntur; ideo utraque specie testimoniorum eodem inre utemur.

II. Quoad Ecclesiam latinam haec producimus testimonia. Hymnus, qui tum auctoritate codicum, tum similitudine styli tribuitur probabilissime s. Ambrosio, et est certe antiquissimus (cf. in Sylloge Ballerini T. I. p. 322 iudicium super hac re doctissimi viri Ioannis Petri Secchi S. I.) quique incipit: *quis posset ampla flamine praepotens*: haec canit in tertia et quarta stropha: « Hausto maligni primum ut occidit-viro (a *virus* quod est venenum) chelydri terrigenum parens, hinc lapsa pestis per genus, et repens—unctum profundo vulnere perculit—Rerum miseratus sed sator, *inscia-cernens piaculi viscera Virginis*,—his ferre mortis crimine languido-mandat

salutis gaudia seculo. » Cum priore stropha significetur diserte peccatum originale, altera pariter clarissime dicitur quod *piaculi* huius, nempe de quo in praecedente mentio facta est, *inscia fuit Virgo*: ac praeterea ideo electa dicitur Virgo ad ferenda gaudia seculo languido propter crimen mortis, quia ipsa *inscia* erat huius piaculi. Idem Ambrosius, qui sec. IV. floruit in Ps. CXVIII. Sermon. ult. paraphrasticè enarrans verba: *Erravi sicut ovis quae perivi; quare servum tuum*, sic Davidem inducit loquentem: « Erravi ovis tua, dum tu moraris, dum tu versaris in montibus. Dimitte nonaginta oves tuas, et veni unam quaerere quae erravit... Ad me veni, quem eiectum de paradiso serpentinum diu ulceris venena perterant, quia erravi a gregibus tuis illis superioribus (nonagintanovem ovibus). Nam et me ibidem collocaveras, sed ab ovibus tuis lupus nocturnus avertit. Quaere me, quia ego te requiro... Veni ergo et quaere ovem tuam, iam non per servulos, non per merganios, sed per teipsum. Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est (apprehendit enim carnem naturae, quae in Adam peccavit); suscipe me non ex Sarra, sed ex Maria, *ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. » Sensus obscurus est. Virgo incorrupta est ne Maria, an caro? Videri possit esse caro, ut sensus sit: suscipe me in carne h. e. carnem assumens factus homo; et carnem assumens non ex Sarra sed ex Maria, cum enim haec virgo genuerit, vi ipsius generationis caro tua erit incorrupta et integra ab omni labe peccati, ut decet. Scilicet diceret Ambrosius: suscipe me per te ipsum suscipe me—factus homo assumens carnem ex Matre virgine ut caro tua sit immaculata vi ipsius generationis. Videri quoque posset virgo incorrupta de qua loquitur Ambrosius, esse b. Maria. Nam de carne mediate et in obliquo tantum sermo prius occurrit: si autem ea foret subiectum propositionis: *ut incorrupta sit Virgo*, quandoquidem immediate praecesserat appellatio personae, quae certe virgo dici potest, et frequentissime ac Antonomastice sic vocatur, nomen illud *caro* expressum fuisse aperte. Qua posita interpretatione Maria igitur, teste Ambrosio, est virgo per gratiam integra ab omni labe peccati. Atqui in eodem contextu sermo est de peccato originali, propter quod eiecti sumus de paradiso, quo humana caro seu natura lapsa est in Adam: haec ergo quoque labe diserte excluditur; cum *omnis labe* quamlibet comprehendat, et heic de originali potissimum sermo sit. Sed nobis haec interpretatio certa non est: idcirco rem in medio relinquimus.

Sub initium sec. V. Prudentius in hymno ante cibum: « Ecce venit nova progenies, — Aethere proditus alter homo, — Non lutens, velut ille prior; — Sed Deus ipse generis hominem, — Corpo-